



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 46. Quædam Alexandri VII. Pontificis Constitutiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. in Ecclesiasten, instructionem Patris  
A. C. 1659. ad Filium, & alia quædam exegetica

VII. Joannes Crocius scripsit commentaria in Prophetas minores, & Epistolas D. Pauli, necnon de Purgatorio & Cælibatu Clericorum, Dissertationes de animæ rationalis ortu, de Authore peccati, & de justificatione Peccatoris, pluraque alia. VIII. Melchior Nicolai ad posteros transmisit resolutionem ad demonstrationem Kedronam, varia opuscula contra P. Fournium, Aphorismos Theologicos præter alia.

§. XLVI.

*Quædam Alexandri VII. Pontificis  
Constitutiones.*

Præterquam quod Alexander VII. de Paula non modo Romæ sed & Laurentina Collegia Apostolica pro Pœnitentiariis erexerit, legesque pro ejusmodi Collegiorum regimine præscripserit, insuper die vigesima quarta Martii statuit, quod Provinciales FF. Minorum S. Francisci de Paula completo officio per sex annos sequentes ab eodem munere vacare debeant. Concessit etiam die undecima Junii Fratribus Ord. S. Francisci indulgentias plenarias, si per octiduum exercitiis Sacris vacaverint. Prohibuit in super

insuper die decima sexta ejusdem Mensis, ne FF. Discalceati Ord. S. Augustini plures quam tres ex qualibet Provincia ad Capitulum Generale mittant. Exemit denique die quinta Novembris Fratres Ord. S. Joannis de Deo a jurisdictione Ordinariorum.

Sæc. XVII.  
A. C. 1659.

## §. XLVII.

*Diversæ Sacrarum Congregationum decisiones.*

Motis subinde variis dubiis Sacrarum Congregationes hoc anno plures etiam ediderunt Constitutiones, & quidem primo, cum Authores quidam in suis libris asseruerint, quod Sacerdoti pro alio Missam, recepta eleemosyna, celebranti liceat aliam eleemosynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructus ejusdem sacrificii ipsimet Celebranti debitam applicet, hinc S. Congregatio Concilii, hac assertione damnata, die vigesima quinta Januarii decidit, nulli Sacerdoti licitum esse hoc prætextu aliam eleemosynam accipere præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur. Declaravit quoque S. Rituum Congregatio die vigesima sexta Maji, non esse permittendum usum, quo Regularium Laici crucem vel candelabra in processione

Const. &  
decis. S.  
Congr. Conc.  
Rit. &c.

Hist. Eccles. Tom. LXII. M m cessio-